



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Matthaei Tympii Aureum Specvlvm Principvm,
Consiliariorvm Iudicvm, Consvlvm, Senatorvm, Et Aliorvm
Magistratvum Cvm Ecclesiasticorum tum Politicorum
omnium**

Tympe, Matthäus

Coloniae Agrippinae, 1617

67 Recreationem Ecclesiae procurare seu potius promouere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52641)

alternis interquiescant annis, eam tamen cessationem ubertate compensant: perpetuis laboribus vires corporis, meditationibus vires mentis franguntur, & exhauriuntur, si honesto otio non recreentur. *Maior post otia virtus.* Cetero *καλοσομυχία*, ventriculi imbecillitate laborans, corporis exercitationibus habitum bonum sibi comparauit. (*Plut.*) vt & *Seneca* de se scribit, quod catarrhis & distillationibus, à quibus affligebatur, solitus fuerit deambulatione succurrere. *Epist. 79. Germani veteres filios suos non poculis indulgere, sed operam dare exercitationibus voluerunt, quod viri aliquando facti, optimi milites essent.* (*Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 25.*)

SIGNVM LXVII.

REFORMATIONEM ECCLESIAE
procurare, seu potius promouere.

Iustinianus Imp. ad felicem successum belli Gothici viam sibi aperire putauit, si, vt Ecclesiastici Canones obseruarentur, inuigilaret. Hinc *Novella 6.* ait: Maxima in hominibus sunt dona Dei superna collata clementia, Sacerdotium, & Imperium: & illud quidem Diuinum ministrans; hoc autem humanis praesidens, ac diligentiam exhibens: ex vno eodemque principio vtraque procedentia humanam exornant vitam. Ideoque nihil sic erit studiosum Imperatoribus, sicut Sacerdotum honestas: cum vtiq; & pro illis ipsi semper Deo supplicent. Nam si hoc quidem inculpabile sit vndique, & apud Deum fiducia plenius Imperium autem recte & competenter exornet

traditam sibi Remp. erit consonantia quædam bona, omne quidquid vtilis est humano confertur generi. Nos igitur maximam habemus sollicitudinem circa vera Dei dogmata, & circa Sacerdotum honestatem, quam illis obtinentibus, credimus, quia per eam maxima nobis dona dantur à Deo, & ea, quæ sunt (adepta,) firma habebimus, & quæ nondum hæcenus venerunt, acquiramus, & c. Ad hæc, quod probè sciret spem omnem Ecclesiasticæ disciplinæ in eo esse repositam, si qui præsumunt Ecclesijs, Sacerdotes, à quibus sunt illi illustrandi, ipsi sint superna luce respersti, in hoc laborans, vt præscriptæ de his à Patribus Leges seruantur, subiungit: Sancimus igitur, sacras per omnia sequentes Regulas, & c. significans, quæ sacris essent Canonibus constituta, seruanda se proponere: non autem de personis vel rebus Ecclesiasticis ferre legem. Et inter alia multa, cohærentes vxori arceri voluit à Sacris Ordinibus. *Baron. Tom. 7. Anno Christi*

SIGNVM LXVIII.

RELIGIONEM CATHOLICAM

strenuè propugnare, & propagare.

Exat lib. 1. Cod. de Summa Trinit. Gratiani, Valentis & Theodosij Imperatorum hæc Constitutio: Cunctos populos, quos Clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam D. Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat.

Constantinus Magnus scribit ad Celsum Africæ

Kkk 4

fricæ